

meris conviciis. Quid hoc miserabilius esse potest? ». Miserabilia quidem, inania, fluxa, et transitoria sunt omnia mundi bona; et tamen ea ardentem appetimus, ad ea suspiramus, iis toto corde adheremus. Eja quanto magis ad paradisi bona, quæ magna, pura et æterna sunt anhelare debemus? quanto magis pro istis acquirendis laborare debemus et insudare? *Voluntas* inquit D. Augustinus, *quanto est avidior temporalium bonorum, tanto est inanius æternorum.* Non ergo temporalium bonorum sis avidus; labora et caduca illa bona despice, contemne, ac pro nihilo reputa, totisque cordis medullis ad magna, pura, et æterna paradisi bona aspira, et pro illis acquirendis sollicitate labora. Heu! si arator fert pondus diei et æstus, noctes insomnes ducit, totoque anni circulo duris incumbit laboribus, ut tenuem tempore suo messem colligat; si mercator totam lustrat Europam, ut aurum, argentum, margaritas, aromata, aliaque parvi momenti bona comparare valeat; si miles cum evidenti vite suæ descrimine ad certamen descendat, ut tantillum inanis gloriolæ ventum hauriat, quanto majori conatu militare, et laborare debemus, ut immensam cœli gloriam, magnaque et æterna Paradisi bona acquiramus? ad ea quidem anhelandum, pro iis laborandum. Heu! tamen quam pauci pro immensis et æternis bonis acquirendis sedulo laborant! Dic, quæso, quos pro cœlo labores subis? quibus penitentiae operibus incumbis? quantum inedie et famis toleras? quid somno demis? a quibus abstines deliciis? quot nocturnis horis orationi vacas? quam severe carnem maceras? quantis rigoribus petulantiam carnis coerces? quantum lacrymarum ad delenda peccata fundis? quid agis, quid sustines, quid suscipis ut paradisi bona obtineas? Te tuamque scrutare conscientiam, et apparebit, quod pro cœlo parum labores, et forte quod pro illo assequendo nihil facias. Erubescere, quod tanto affectu terrena prosequaris, tamque sis frigidus circa cœlestia. Tuum excute torporem, caduca sæculi contemne bona, cœlestia appetere, quidquid ab istis assequendis impedire vel retardare potest, abijce, quidquid ad ea comparanda prodesse potest, amplectere, dabitque Deus gratiam, cuius auxilio illa assequeris. *Amen.*

## FERIA II POST DOMINICAM SECUNDAM.

## DE ÆTERNITATE PŒNARUM INFERNI.

*In peccato vestro moriemini* (Joan. 8, 21).

Timor et amor sunt duæ cordis humani passiones, quibus uti solet Deus ad homines avertendos a malo et in bono promovendos. Amor est passio quedam nobilis, qua ad benefaciendum, et ad proficiendum in via virtutis suaviter alliciuntur generosi, et bonæ indolis viri: timor vero est passio quedam vilis, qua ad declinandum a malo compelluntur etiam obdurati et rebelles quivis peccatores. Et ideo D. Augustinus (ep. 5 ad Bonif.) ait amoris proprium esse quod homines ad altiorem sublimioris perfectionis gradus evehat; timoris vero, quod homines a peccatis retrahat: *sicut sunt meliores quos dirigit amor: ita plures sunt quos corrigit timor.* Amoris et timoris motiva multa hominibus præbuit Christus; et licet in hunc mundum venerit, ut amoris sacri igne totum orbem incenderet: homines tamen sepeissime territavit, nunc mortem imminere nuntians, nunc terribilia esse Dei judicia asserens, nunc formidanda inferni supplicia objiciens. In hodierno autem Evangelio novum nobis proponitur timoris incentivum, æternitatis scilicet pœnarum inferni. Cum enim Christus Judæis ait, quod *in peccato suo morietur, in peccato vestro moriemini,* idem est ac si eos in æternum morituros dicat: quia in peccato mori, et in æternum mori, æternisque suppliciis addicti, unum et idem esse videntur, aut saltem unum ex alio necessario sequitur. De hac pœnarum inferni æternitate jam dicturi sumus. *Ave.*

Æternitatem pœnarum inferni qui non credit, infidelis est; qui non pertimescit, est induratus; et qui eam vitare non nititur, stupidus est et insanus. Certum quidem, quod si a christianis hominibus quaeratur, an pœnarum æternitatem credant, timeant, et vitare intendant, non est qui non respondeat:

utique ego credo, utique horrenda hæc metuo supplicia, utique ea pro viribus declinare præopto; at revera innumeros reperire est, qui talem tormentorum æternitatem firmiter non credunt, qui eam nequaquam reformidant, et qui eam nullo modo vitare conantur. Jam non loquor de infidelibus et barbaris; sed de christianis, inter quos *multi* indurati, qui eam non timent, multique stolidi et insani, qui de illa vitanda non curant. Jamvero æternitatem poenarum inferni credere, timere et vitare debemus; *credere*, quia certa est, *timere*, quia terribilis, *devitare*, quia intolerabilis. Quæ tria singillatim evincere contendam tribus hisce argumentis: æternitas poenarum inferni 1. *est certa*, ergo credenda; 2. *est terribilis*, ergo metuenda; 3. *est intolerabilis*, ergo vitanda. En tres hujus concionis partes.

## I PARS.

*Æternitas poenarum inferni est certa, ergo credenda.*

1. Ut homines ad peccatum, et ad inferni barathrum facilius pertrahat satanas, iis suadere conatur, levia, aut saltem non æterna esse inferni supplicia. Hæc tamen poenarum inferni æternitas plus quam certo certa est, eamque ut principium, primumque fidei nostræ elementum proponit sanctus Chrysostomus. Cum enim e suggestu aliquando dicens asseruisset, omnes in statu peccati mortalis decedentes poena plecti æterna, supplicisque addici sempiternis, adiecit, nullum hæc de re esse ambigendi locum, quia *hæc sunt elementa fidei nostræ*. Hæc quidem sunt fidei nostræ principia, ipsissimis Christi verbis, plurimis Prophetarum oraculis, varisque sacræ Scripturæ et sanctorum Patrum testimoniis ita confirmata, ut cuique constare ac certissimum esse debeat, æterna esse supplicia, quibus adjudicantur quicumque in statu mortalis peccati moriuntur. Christus Dominus in tremendo extremi iudicii die malos a bonis separabit, et data sententia, bonos ad cœlestia regna in

æternum beandos vocabit; reprobos vero in infernum, non ad tempus, sed in sempiternum cruciandos mittet; *ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* (Matt. 25, 46). O quam diversa electorum et reproborum sors! istorum tamen supplicia illorum præmiis sunt similia in duratione, quia sicut præmia quæ electis dantur, sunt æterna, ita et supplicia, ad quæ damnantur reprobi, æterna sunt: *ibunt hi in supplicium æternum*. Ecce quomodo loquitur Christus, qui est ipsa veritas, *ego sum via et veritas* (Joan. 14, 6); ecce quid de æternitate poenarum inferni sentiat Christus qui cum Deus sit, mentiri non potest, *impossibile est mentiri Deum* (Heb. 6, 18), propterea cum verbis clarissimis asserat Christus æterna esse inferni supplicia, ea æterna esse certissimum est. Sicut omnes homines mori, ita et omnes homines resurgere oportet, *omnes quidem resurgemus* (1. Cor. 15). Resurgent boni, et resurgent mali; *boni*, ut ad cœlos in æternum regnaturi properent; *mali*, ut ad tartara in sempiternum cruciandi mittantur, *exigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper* (Dan. 12, 2); æternitas præmiorum bonis, malis vero poenarum æternitas dabitur. Hanc poenarum æternitatem quam perpessuri sunt reprobi, probe novit sancta Mater Ecclesia, quæ reprobos ab inferno nunquam redimendos asserit, *in inferno nulla est redemptio*. Cum quis à Turcis, Mauris, et aliis quibusque captivus detinetur, aliqua ei semper futuræ redemptionis spes remanet: ubicunque sit in hoc mundo, semper redimi potest; at mox ut quis a daemonibus ad tartara captivus ductus est, nulla ei spes redemptionis; nec Angeli, nec homines illum unquam redimere poterunt; ibi in perpetuum cruciandus detinebitur. Cum avicula unico capite laqueo, vix ab illo se extricare potest; et cum multis laqueis capta detinetur, nequaquam ab iis se expedire potest: damnati autem plurimis in inferno capiuntur laqueis: *pluet super peccatores laqueos* (Ps. 10, 7): ideo ab iis liberari nequibunt, sed in æternum iis ligati detinebuntur, nec unquam ab inferni suppliciis liberabuntur: *in inferno nulla est redemptio*. Quod ita certum credidit D. Au-

gustinus, ut dixerit, quod si certo sciret, patrem suum ad inferni supplicia damnatum, nequaquam pro eo oraret: *si scirem patrem meum damnatum esse, non magis rogarem pro eo, quam pro diabolo.* Non rogaret pro patre D. Augustinus; qui enim in inferno captivi detinentur, nullis precibus, nulla arte, nec quocumque modo ab eo liberantur; sed ibi in æternum captivi remanent, ibique suppliciiis horrendis in æternum cruciantur: *ibunt hi in supplicium æternum.* De damnatis ait David: *sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos* (Ps. 48, 15). Reprobi sunt hœdi in Christi sinistra statuendi, et in inferno semper cruciandi; cur ergo non dicit Propheta, eos in inferno positos tamquam hœdos sed veluti oves, *sicut oves in inferno positi sunt?* Non negat Vates regius, reprobos in inferno esse positos tamquam hœdos; verum dicit etiam, et merito dicit, eos ibi positos esse *sicut oves.* Ut enim docet Aristoteles, oves inter cætera quadrupedia stolidiora pecora sunt; quod damnatis recte competit, quia cum facile salvari potuissent, segnitie et malitia sua misere damnati sunt, quo nihil stolidius. Ecce quomodo in inferno reprobi positi sint *sicut oves.* Addit Propheta, quod ibi *mors depascet eos.* Non ait, quod mors eos jugalabit, vel trucidabit; sed quod *depascet eos.* Quare, hoc? quia reprobi radicem suam non in cœlo, sed in inferno habent, *ecellet te, et radicem tuam de terra viventium.* Ab inferno autem mors eos nunquam eradicabit, ibi eos semper depascet et cruciabit; semperque pasti denuo reviviscunt, et semper cruciabuntur. *Sicut herba ab ovibus pasta, semper renascitur, ita et damnati, quasi morte pasti, semper reviviscunt ad mortem, ut æternaliter cruciantur et moriantur* (Inn. Pp. III, de contemp. mundi, 3).

A Deo postulat idem Propheta, ut reprobos in inferno ad modum rotæ ponat, *Deus meus pone illos ut rotam.* Non petit, ut ibi ponantur tamquam læsæ majestatis divinæ rei, vel tamquam captivi ferreis vinculis constricti; sed quod ibi ponantur ad instar rotæ, *pone illos ut rotam.* Cur hoc! ratio est, quia rota est figura circularis, quæ nullum terminum, nullumque finem determinatum habet; verte rotam quantum

volueris, nullum unquam in ea invenies finem; ponuntur autem reprobi in inferno ad modum rotæ, quia supplicia eorum nunquam sunt habitura finem. Hujus mundi supplicia transeunt: *sagittæ tuæ transeunt;* in inferno damnatorum supplicia erunt quasi rota versatilis; quia nullum habebunt finem, nunquam transibunt, in æternum durabunt, *pone illos ut rotam.* Dives avarus qui induebatur purpura et bysso, et qui epulabatur quotidie splendide, post mortem *sepultus est in inferno* (Luc. 16): o dignam tali homine sepulturam! *Sepultus est in inferno:* o quam infelix ille epulo! *Sepultus est in inferno;* ecce ubi sepeliuntur quotquot ex hoc mundo exeunt peccatores imponentes; sepeliuntur in inferno, et dum in hoc mundo campanæ sonant, flent propinqui, cantant presbiteri, hi in inferno a dæmonibus sepeliuntur. Quousque vero ibi sepeliuntur? Non ad tempus, sed in æternum *sepulchra eorum domus illorum in æternum* (Ps. 48, 12). O frater, si ad Deum toto corde tuo non convertaris, in inferno æternum cruciandus sepelieris. Cæco illi, de quo, scribit Marcus, postquam manus imposuit Christus, ab illo petit, an aliquid videret; respondit ille, *video homines velut arbores ambulantes* (Marc. 6, 3). Homo inversus seu habens pedes sursum et caput deorsum, est similis arbori; qui autem sunt homines illi inversi, et arboribus similes? Hi sunt peccatores, qui omni præpostere faciunt; seu, qui omnino faciunt contra quam a Deo iis præceptum est. Præcipit Deus inimicos diligere, et hi eos oderunt; præcipit aliena restituere, et hi aliena quotidie rapiunt; præcipit jejunare, et gulæ indulgent; præcipit continentiam, et fœdis libidinibus se dedunt: hi sunt *homines veluti arbores ambulantes.* Quid autem flet de hominibus his qui veluti arbores ambulat, et qui omnino faciunt contra quod iis a Deo preceptum est? *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit* (Eccl. 11, 3). Ex his hominibus inversis, ex his peccatoribus aliqui ante mortem ad Deum convertuntur, et hi ad austrum paradisi cadunt, alii vero non convertuntur, et hi ad aquilonem inferni decidunt, ibique remanent, non ad tempus, sed in æternum; *in quocumque loco ceciderit, ibi*

*erit immutabiliter et irretractabiliter* (D. Bern. ser. 49 ex parv.). O peccator, o arbor inversa, si in statu mortalis peccati ex hoc mundo exeat, in infernum cades, ibique in æternum cruciaberis, *pœnas dabunt in interitu æternas* (2. Thess. 1, 9). Optarent peccatores in hoc mundo sine fine vivere, ut possent sine fine peccare: ergo cum pravo affectu velint sine fine peccare, justum est ut pœnis æternis, nullumque finem habituris plectantur, *pœnas dabunt in interitu æternas*. Doctor Angelicus ait (in 4<sup>m</sup> Sent. 45, 2) justum esse ut damnatorum pœnæ tandiu durent, quamdiu culpæ: culpæ autem eorum durabunt in æternum, quia in inferno nulla fit culpæ remissio; cum culpæ eorum sint in æternum duraturæ pœnæ etiam eorum in æternum durabunt. O peccator! hujus vitæ tempus brevissimum est, voluptates quibus gaudes, et peccata quibus adhæres, cito transeunt; inferni vero supplicia æterna sunt. Hoc certissimum est; cum id crebro dicant Scripture, sancti Patres asserant, et ipsa ratio suadeat. Hoc certissimum est, ergo credendum.

2. Hæc consequentia legitima est, nec negari potest, dato antecedente. Verum heu! licet certissimum sit, æternas esse damnatorum pœnas, pauci tamen hoc vere credunt: imo fere nullus hoc firmiter credit: *nemo credit*. Refert Ludovicus Granatensis, hominem fato functum, Deo permittente, cuidam apparuisse; cumque ab eo petiisset, iste ut aliquid ex iis quæ in alio mundo fiunt, enarraret, respondit mortuus: *nemo credit*. Instat alius, rogatque ut dicat, quæ sint illa, quæ nemo credit, respondit mortuus: *nemo credit, quam Deus secere puniat*. Si queram ab hoc et illo peccatore, an æterna esse inferni supplicia credant, respondebunt procul dubio se esse christianos, ac non solum illud, verum et omnia fidei dogmata firmiter credere; revera tamen *nemo credit, quam Deus secere puniat*. Nemo firmiter credit, quia si hoc vere et firmiter homines crederent, ab omnibus prorsus peccatis facile declinarent, et omni virtutum generi sedulo incumbere. Nonne verum est, quod ad evitanda flagella et alia hujus mundi supplicia, quæ quidem gravia non sunt, abstinere homines a

criminibus, ac recte vivunt? quanto magis a vitis abstinerent, et virtuti studiose vacarent, si æterna esse tartari supplicia firmiter crederent? At *nemo credit*. Heu! Si verum et certissimum sit, æterna esse inferni supplicia, quare non creditis: *si veritatem dico vobis: quare non creditis mihi?* (Joan. 8, 6). Credite in lucem, si filii lucis sitis; credite hanc veritatem, quæ ipsa luce clarior est; credite æterna esse inferni supplicia; credite, et sic credite, ut hæc fides ad meliorem vitæ frugem vos excitet. *Æternitas pœnarum inferni certa est, ergo credenda; ecce quod jam probavimus. Æternitas pœnarum inferni terribilis est, ergo metuenda; en quod jam probandum, et en secundam hujus concionis partem.*

## II PARS.

*Æternitas pœnarum inferni terribilis est, ergo metuenda.*

Probe annotavit S. Bernardus (serm. 3 in Ps. *Qui habitat*), quod cum peccatores ad penitentiam suscipiendam hortamur, hoc durum et difficile esse respondeant, dicantque: *durus est hic sermo*. Vis, inquit, o pater, ut restitiam hæc et illa, quæ a pluribus annis possideo? Vis ut abrenuntiam amabili hujus creaturæ consortio, quam a multo tempore ut uxorem meam inspicio? Vis ut ex corde diligam hominem illum, a quo male acceptus sum? Vis jejunem, orem, scelera mea distincte confitear et alia omnia, quæ christiani hominis sunt, perfecte adimpleam? hæc dura et difficilia sunt: *durus est hic sermo*. O fratres, subdit Doctor mellifluus, si hæc dura esse putetis, fallimini: si credatis, durum esse aliena restituere, jejunare, et penitentiam agere; erratis: *durum vobis videtur, cum dicitur, agite penitentiam: erratis*. Erratis quidem, ait: quia hæc dura et difficilia non sunt; *sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum: ite maledicti in ignem æternum*. Ecce quod durum, ecce quod terribile: nil hac pœnarum æterni-

tate durius et terribilius: *hoc durum reputate* S. Chrysostomus (Hom. 3 ad pop. Ant.) ait, quamplurimos homines similes esse parvulis, qui *larvas timent, ignem non timent*. Mox ut puer larvam videt, toto corpore contremiscit, fugit, latitat: cum vero illi obijcitur candela accensa, non timet; quin contra lucem admiratur, subridet, gaudet; imo et digitum facile admovet: hi *larvas timent*, a quibus nihil mali suspicandum; *ignem vero non timent*, a quo comburuntur. His parvulis similes sunt plerique hominum, inquit Chrysostomus: *si enim ei dicas*, ut jejuneat tota Quadragesima, trepidant: *si dicas*, ut aliena restituant, pravos eradicent habitus, et penitentiae operibus insistant, totis artibus contremiscunt: *si dicas*, ut mundi vanitatibus, voluptatibus illicitis, et obscenis libidinibus abrenuntent: hæc terribilia iis videntur. Si autem iis loquaris de tartareo igne, et terribili æternitate pœnarum, quas in inferno patiuntur damnati, hoc non timent. *Timent carcerem*, inquit D. Augustinus, *et non timent gehennam; timent questionarios tortores, et non timent infernales angelos; timent cruciatum temporalem, et non timent pœnas ignis æterni*. O quam stolidi, qui tartareum ignem, et æternitatem pœnarum inferni non timent! O quam stulti, qui hoc durum et terribile non reputant! Nihil enim hæc pœnarum æternitate durius, nihil terribilius: *hoc durum reputate*. Optat regius Vates, ut homines, dum in hoc mundo vivunt, in infernum descendant: *descendant in infernum viventes* (Psal. 54). Non vult Propheta, ut descendamus corpore, sed mente; vult ut formidanda et æterna inferni supplicia sæpe recogitemus et serio meditemur; et revera nil utilius, nilque ad vitanda æterna tartari tormenta efficacius, quam frequens eorum cogitatio et studiosa meditatio. Si mente descendemus in infernum, aut si Deus favore quodam speciali daret, ut videremus infernum, et eos qui in inferno sunt, quos, quæso, ibi cerneremus homines? Creditis forte, quod ibi videremus solummodo agasones, rusticos, mercenarios, et alios hujus furfuris viros, qui in hoc mundo omnium peripsema fuerunt? Absit a mentibus nostris erronea hæc cogitatio: ibi enim

videremus imperatores multos, plurimos reges, innumeros principes, aliosque magnates, qui in mediis ignibus gemunt ut pueri: ibi videremus Alexandros, Cæsares, Pompejos, aliosque orbis dominatores, et urbium expugnatores, qui vinculis igneis constricti continue vociferantur; ibi videremus usurarios, epulones, voluptuarios, libidinosos, et alios omnis generis peccatores, qui indesinenter clamant, et ululant ob gravissima que patiuntur, et in æternum passuri sunt tormenta. O quale spectaculum! o quam durum, o quam terribile hujusmodi viris æternas has perpeti pœnas! horremus et timeamus, cum hæc tormenta recogitamus, vel cum aliquem de iis prædicantem audimus: quanto terribilius est ea pati, et in æternum pati: *hec solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passiones?* Heu! in æternum privari Dei visione, in æternum separari a sanctis, in æternum tetro carceri mancipari, in æternum flammis voracibus involvi, in æternum conscientiae verme corrodi, in æternum a dæmonibus cruciari, *hec solo auditu valde sunt terribilia, quanto magis passiones?* O quam terribilis! o quam formidanda hæc pœnarum æternitas! Si terribilis est, *ergo metuenda*. Id nemo jure in dubium revocare valet; omne enim terribile timendum; ideo si æternitas pœnarum inferni terribilis est, timenda etiam est. Sic ratiocinabatur S. Cyrillus Alexandrinus, qui inferni timebat supplicia, quia æterna: *gehennam timeo, quia interminatam*. Si cito transirent hæc supplicia, dicere forte posset aliquis: hæc tormenta sunt quidem acerba, sed cito transibunt, et ideo illa non timeo. Quis homo sane mentis æterna supplicia non timebit? quis homo, si stolidus non sit, dicet, illa tormenta acerba sunt et æterna sunt, ergo illa non timeo? Stultus certe conseretur qui sic ratiocinaretur. Ergo aliter ratiocinare, et dic: hæc tormenta gravia sunt, æterna sunt, terribilia sunt: ergo in illa incurrere timeo; *metuo gehennam, quia æterna est*. Sic ratiocinari deberes, o peccator, et terribilem pœnarum æternitatem formidare. Si enim aliter ratiocinaris, et hanc suppliciorum æternitatem metuis, non homo rationalis et christianus, sed homo insensibilis,

et ipso marmore durior es: *Si horribilia illa tormenta non metuis, disputamus cum corde lapideo* (S. Basil. homil. 7 in *dilesc. avar.*). O cor lapideum! o homo obdurate! times unius diei febrim, unius hebdomadæ penitentiam, vel unius Quadragesimæ jejunium, et non times terribilem poenarum inferni æternitatem? stultus es, obduratus es, et ipsis lapidibus durior; *disputamus cum corde lapideo*. O peccator, time quod timendum, gehennam time, time poenarum æternitatem, quia terribilis est. Eam ita timebat S. Hieronymus, ut ob suppliciorum inferni timorem, in altam se receperit solitudinem, ibique intra horrendum antrum sese clausurit; *ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum*. Imitare, saltem in aliquo, sanctum hunc Ecclesiæ Doctorem: et si in antrum, penitentiam acturus, non te recipias, terribilis saltem hujus æternitatis cogitatio a peccatis te avocet; *pro freno metus gehennæ imponatur cordibus nostris* (Chrys. ho. 29 in Ep. ad Eph). Cum peccandi sese offert occasio, dic intra temetipsum; nolo hoc peccatum perpetrare, quia æterna sunt inferni supplicia; cum quis tentator ad illicita te provocat, dic intra te; ab his abstinere volo, quia terribilis est æternitas suppliciorum, qua reprobi in inferno plectuntur; cum dæmon, natura corrupta, vel pravus cordis tui affectus te ad malum inclinet, confige timore carnes tuas; timor et tremor veniant super te, ac intus dic, timeo terribilia et æterna inferni tormenta, propterea ab hoc, et illo peccato abstinere volo: timor ille sit frenum, quo a peccando cohibearis; *pro freno metus gehennæ imponatur cordibus nostris*. Multi, etiam impii et paradiso indigni, tanta cum securitate consistunt, quanta si Deus revelasset eos in libro vitæ esse conscriptos. Jamvero in hoc mundo timere debent omnes; et beati illi quorum corda salubri timore semper configuntur: *beatus homo, qui semper est pavidus*. Timere debemus Dei judicia quæ occulta sunt, fragilitatem cordis nostri quod inconstans est, sensuum nostrorum tyrannidem quæ gravis est, et pericula salutis quæ undique circumstant. Timere debemus gratiæ Dei jacturam, mentis nostræ tepiditatem, pravos habitus

quibus ad peccandum allicimur, et frequentem in peccatum recidivam, quæ efficit, ut paulatim imminuantur specialia auxilia, quæ Deus dare solitus erat. Timere debemus Deum, qui injuriæ sibi illatæ non obliviscitur, qui peccata hominum, infinita sapientiæ suæ bilance librat, et qui ingratos peccatores tandem aliquando derelinquit, excæcat, indurat, et reprobatur. Hæc quidem omnia et alia multa timenda sunt; in primis timendus carcer ille tartareus, flammis referatissimus, in quo Deus suos in æternum recludit et punit inimicos. Timenda hæc poenarum æternitas, quia terribilis; *vitanda etiam, quia intolerabilis*.

## III PARS.

*Æternitas poenarum inferni est intolerabilis, ergo vitanda.*

Puerorum more ratiocinamur, inquit D. Augustinus, cum per multitudinem dierum, per longitudinem temporum, et per sæculorum durationem, æternitatem explicare suscipimus: quia omnia annorum et sæculorum spatia, si cum æternitate conferantur, exigua sunt, momentanea sunt, et quasi nihilum reputanda sunt. Hæ nostræ mensuræ pueriles, et risu dignæ sunt, quia temporis ad æternitatem nulla est proportio; et quidquid ad explicandam æternitatem quis dicat, eam explicare non valet, semperque minus dicit: *de æternitate quidquid dixeris, minus dicis*. Si dixeris, æternitatem tot annorum constare millionibus, quot in toto oceano sunt guttæ, *minus dicis*. Si denuo omnes illas aquæ guttas sumpseris, easque multiplices per mille millionum miliones, ac dicas æternitatem tot annorum millionibus duraturam, quot essent ibi guttæ, *minus dicis*. Velim adhuc cogites tantum annorum numerum, quantum cogitare poteris; annos tantum mente multiplices, quantum multiplicare fas erit, ac numerum annorum angeas, quantum augere licebit, nunquam tamen ad explicandam æternitatis durationem pervenies; ac quidquid de æternitate dicas, minus

dices, quia finiti ad infinitum nulla est proportio; *quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt.* Firmissimo autem hoc fundamento posito quæro nunc a te, o peccator, si ex secularis justitiæ ordinatione cogereris ad immittendum brachium in ignem, vel in fervens oleum, et ad illud ibi relinquendum, donec totaliter consumptum esset; qualis hæc tibi pœna! talis quidem, ut eam intolerabilem diceres. Si vero, Deo sic ordinante, et brachium tuum miraculose conservante, cogereris ad illud intra ignis rögum uno et pluribus annis constanter tenendum, quale hoc tibi supplicium! tale sane, ut non solum a te, verum et ab omnibus intolerandum censeretur. Ergo quid dicendum de inferno, in quo reproborum brachia, pedes et corpora integra, non solum ad aliquos annos, sed in æternum flammis voracibus, et terribilibus suppliciis addicentur? hæc certe suppliciorum æternitas intolerabilis erit. Heu! inquit S. Gregorius (Mor. 21, 16), si intolerandos credimus podagræ, dentium, et alios dolores, quos aliquando in hoc mundo patimur, quanto intolerabilia inferni supplicia, quæ æterna sunt: *si ferri modo via potest Dei ira, quæ purgat, quomodo feretur ira, quæ reprobatur in æternum?* Dolores et pœnæ quæ ex seipsis leves sunt, diuturnitate sua graves et intolerabiles fieri solent. Febris quartana, v. g., non censetur malum grave; si tamen viginti aut triginta annis continuis hac febre quis laboraret, diuturnitas eam intolerandam efficeret. Aciculæ punctio gravem non causat dolorem; si tamen hanc punctiunculam toto unius horæ tempore continue pati quis compelleretur, gravis esset ille dolor; si uno, vel pluribus annis hunc dolorem ex se levem quis perferre cogeretur, ille dolor diuturnitate sua gravissimus et intolerandus fieret. O peccator, a levi hoc dolore ad formidanda damnatorum tormenta mentem transfer. Heu! si una fibriculæ, aut unius aciculæ punctio diurnitate sua tibi intolerabilis videtur, quanto intolerabilis est, gravissima inferni supplicia pati, et in æternum pati? Hoc sane intolerabile dicendum est: *ardebunt miseri in igne æterno in æternum, ibi erit dolor intolerabilis* (D. Bern. de anim., 3). Ipsa experientia constat, non solum hujus mundi supplicia,

verum et ipsa delicias, si diu durent, diuturnitate sua intolerabiles fieri. Homo, v. g., de itinere fessus molli decumbat lecto, hoc illi suavissimum: si autem ibi uno, vel plurimis annis immobilis remanere cogeretur, hoc illi durum et intolerabile videretur. Homo fame pressus assideat mensæ exquisitis multis cibis refertæ, hoc quidem illi suave, hoc delectabile multum; at si ibi necessario mansurus esset decem annis continuis et integris, tæderet eum vite, nausearet super iis cibis, et quod erat prius in oblectamentum, verteretur tandem in supplicium intolerabile. Heu! si diuturnitas ipsas delicias in supplicia mutet, quid dicendum de æternis reproborum tormentis! nonne hæc diuturnitate sua intolerabilia sunt? nonne intolerabile intra tetrum inferni carcerem in æternum recludi? nonne intolerabile a diro conscientie verme in æternum rodi? nonne intolerabile in æternum ab igne voracissimo comburi, et alia inferni supplicia perpeti? intolerabilia certe hæc supplicia, quia perpetua. Igitur si intolerabilia sint, totis conatibus laborandum, ut ea devitemus: si æternitas pœnarum inferni est intolerabilis: *ergo vitanda.*

2. Sic ratiocinabitur quicumque ratione pollebit. Ipsa enim animalia bruta virgam, flagella, et alia supplicia, quæ sibi imminere norunt, pro viribus vitare conantur; si ergo stulti, et bestiis stolidiores non simus, inferni supplicia, quæ æterna et intolerabilia sunt, devitare debemus. Nihilominus heu! inquit D. Augustinus, licet certum sit nullum, si sanæ mentis sit, pro unius diei deliciis velle centum annorum supplicia perferre: multi tamen ita stulti, ut cum voluptatibus carnis et deliciis sæculi adhæreant, æterna et intolerabilia inferni tormenta declinare nullo modo curent: *Quis cum sano sensu pro unius diei deliciis, centum annorum pœnam eligeret? Et miseri tamen illi, qui sine ulla sapientia, voluptatem carnis sequentes, non vitant vitia, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, sed sine fine omnium sæculorum.* Justinus martyr gentilium deflet infelicitatem, qui cunctis se dabant criminum generibus, quia et peccati malitiam, et æterna inferni supplicia ignorabant. At quanto magis

defenda tot christianorum miseria, qui cum noverint quam magna sit peccati malitia, quam gravia inferni supplicia, et quam intolerabilis poenarum æternitas, libere tamen omnibus se dedunt peccatis, nec de vitanda poenarum æternitate certant. O peccator, si sapias et si recte ratiocineris, ab omni peccatorum genere declinabis, pravos eradicabis habitus, occasiones peccandi fugies, ac pro posse conaberis, ut æterna et intolerabilia inferni supplicia devites: *cavendi sunt inferiores inferi, id est, post hanc vitam poenæ graviore* (S. Aug. de ver. relig., 52). Æternitatem ergo poenarum inferni crede, time, cave; *crede*, quia certa est; *time*, quia terribilis est; *devita*, quia intolerabilis est. Scio, quod si quæram ab aliquo etiam impio, an intoleranda inferni tormenta devitare velit; non est qui non dicat, ac serio protestetur, se toto cordis affectu ea declinare velle. At, o peccator, quid agis, ut ea declines? quid facis, et hæc supplicia devites? fugisne omne peccati genus? servasne fideliter Dei mandata? incumbisne poenitentiae operibus? vacasne humilitatis, patientiæ, charitatis, aliisque christianarum virtutum exercitiis? Heu! in numeris forte inquinata est anima tua peccatorum maculis; unicum forte contritionis actum numquam eliciisti; forte peccata tua nusquam debite confessus es; et forte non bonis, sed malis continue incumbis operibus. O peccator, si intolerabilem hanc æternitatem devitare velis, peccata mortalia devita, quæ poena plectuntur æterna; et poenitentiam age, quæ æternos inferni ignes extinguere valet: *gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet* (Tertull. de poenit.). Pro concionis istius conclusionem, velim solummodo ut præclara hæc D. Augustini verba mente revolvās; *aut in æternum bene, aut in æternum male*. O peccator, nullum datur medium inter duas has æternitates; nihil mediat inter æternitatem beatam, qua in celo fruuntur sancti, et æternitatem poenarum, quas in inferno reprobi patiuntur; una aut altera ex his duabus æternitatibus tibi necessario continget, oportet ut in æternum aut cœli gaudia possideas, aut inferni supplicia sustineas; *aut in æternum bene, aut in æternum male*. Vide nunc quid

malis, quamque ex his duabus æternitatibus eligas: *alterum e duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetuo levitari cum sanctis*. Certe, si sapias, omnibus modis tibi possibilibus poenarum æternitatem vitare conaberis; quam si devites, æternitatem beatam infallibiliter assequeris. Amen.

---

 FERIA III POST DOMINICAM SECUNDAM.

## DE SACERDOTIO.

*Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei*  
(Matth. 24).

Sicut eminentissima est Sacerdotum dignitas: ita et sanctissima esse debet eorum vita. Sicut aliis eminent dignitate: ita etiam eminere debent sanctitate: ac, ut ait Salvianus: *Tanto Sacerdotes antestare cæteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate: tantum eos excellere oportet merito, quantum gradu*. Ne arbitremini, charitatem, humilitatem, puritatem, aliasque virtutes a Sacerdotibus possideri debere in gradu remisso. Ne credatis, talem vitam, talesque solummodo esse debere Sacerdotum virtutes, quales laicorum: quid enim eminentius, et longe perfectius in Sacerdotibus, quam in aliis desideratur; ac sicut portentosa eorum est dignitas, ita et eorum vita, eorumque sanctitas admiranda, ac pene portentosa esse debet. Et ideo Sacerdotes vocantur *viri portendentes* (Zach. 3, 1), et portentosi; quia scilicet per eximiam suam sanctitatem reliquos homines obstupescere debent non minus quam si essent cœlestia quædam portenta, oculis omnium exposita, ut omnes in admirationem et stuporem rapiant. Eximia quidem sanctitate pollere debent omnes